

manorum regi: quorum nuptiae magnae et honorabiles in civitate Mediolani sunt celebratae; quibus interfuerunt Faventini cum Bononiensibus et aliis de societate Lombardorum.

*Quando civitas Ierosolyma capta fuit a Saladino [a].*

## CAP. XCIX.

Denique anno Domini MCLXXXVII *I* capta Ierusalem et pene tota terra Ierosolymitana a Saladino, ut ceteri principes Christianorum de mandato Romani Pontificis ad ipsam terram recuperandam vigilarent, modis omnibus laborare studuit Imperator.

*Quando Saladinus regnum Ierosolymitanum cepit, praeter eum inibit Tyrum et Tripolim.*

*In mense Junii*

## CAP. C.

Per idem tempus [A] Saladinus in regno Damasci potenter regnabat. Hic quoque Saladinus filius naturalis [B] Norandini de Damasco, mortuo patre, totum regnum fratribus abstulit, et quos postea capiens ceteros enervavit [C]. Cum autem plura sua prudentia [d] acquisiverit regna, et Terram repromotionis optaret super omnia, fretus praedicti [d] comitis Tripolis hortatu atque consilio [e], anno Domini MCLXXXVII, cum infinito exercitu fluvium Iordanis transivit, capiens praeterea villas atque castella; et civitatem Tabarie hostiliter destruxit. Quae audiens rex Guido, turbatus est ipse [f] et tota Ierosolyma cum eo, et maximo quod per totum biennium nec Italici nec Ultramontani transfretaverant, Guillielmo rege Apulie prohibente propter exercitum quem miserat in Graeciam [g]. Prudentibus itaque tam militibus quam peditibus, de toto suo regno congregatis, rex Guido in districtu civitatis Acon, quae dicitur Acri [f], obviam exivit inimicis, et die xxiii Junii, juxta fontem qui dicitur Tuliania [g], cum

[a] a Saladino. Sic lego cum C. V. In C. M., a Satino. — [b] ceteros enervavit, C. V. In C. M., num legendum etiam posset: cunctos enervavit. — [c] sua prudentia, C. M.; sua providentia, C. V. — [d] fraetus praedicti. Sic lego cum C. M. In C. V., perperam, fratres praedicti. — [e] quem miserat in Graeciam, C. M.; quem miserant in Graeciam, C. V. — [f] civitatis Acon, quae dicitur Acri. Aconi alii scribunt. Tiberiades est, vel Ptolemaides. — [g] Tuliania. Sic habent Codices; sed Tubania scribitur a Guill. Tyr., l. 22, c. 29.

[A] Tempore scilicet Balduini IV, qui regnare coepit anno 1173.

[B] Saladinus, si Guillielmum Tyrium (l. 20, c. 12) audimus, fuit filius Negemedini, fratri Siracovi, Egypti domini, Norandini vero non filius, sed hostis. Contra Voltaerus (*Hist. des Croisad.*, p. 88 ad p. 111) nepotem eum vocat Noradini, Aleppi Soldani.

[C] Nempe Raymundi comitis, de quo jam loquuti sumus. Is enim tunc prodidit Christianos, ad Turcas transeundo, ut mox dicetur; et cum ipso etiam Raynaldus princeps Montis Regalis conjurasse creditur.

[D] Guido nimirum de Lusignano, qui tamen rex Ierusalem non prius fuit renunciatus, quam mortuo Balduino V, pueru sexenni, cuius rector et tutor tunc erat.